



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione
praecedentibus duobus Tomis primum additus

Chokier, Érasme de

Coloniae Agr., 1684

Decisio LX. Conservatores an habeant iurisdictionem judicalem, & ex
quibus illis talis iurdictio concessa censeatur, & an Concilium
Tridentinum sess. 24. cap. 20. tollat conservatorias regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

DECISIO LX.

Conservatores an habeant jurisdictionem judicialem, & ex quibus illis talis jurisdictio concessa censeatur, & an Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 20. tollat conservatorias regularium.

R. P. D. U B A L D O.

Oscen. Jurisdictionis.

Est in recentioribus decisio 616. par. 1.

Veneris 12. Decembris 1614.

S U M M A R I U M.

- 1 Conservatores jurisdictionem non habent, nisi pro manifestis injuriis & molestiis illatis iis, quibus dati sunt Conservatores, nec possunt exercere judicialem indaginem.
- 2 Fallit si ex literis Apostolicis major illis potestas attribuatur.
- 3 Conservatoribus per quae verba censeatur concessa jurisdictio judicialis.
- 4 Clausula, Contradictores &c. importat jurisdictionem judicialem.
- 5 Conservatoria regularium non sunt sublata per Concilium Tridentinum.

Fuit dictum Judices Conservatores Monasterii S. Joannis de prima Osceti, & diocesis habere jurisdictionem judicialem in causis ad dictum Monasterium, & ejus Abbatem & Monachos spectantibus, licet enim regulariter Conservatores jurisdictionem non habeant, nisi pro manifestis injuriis, & molestiis in eos illatis, quibus dati sunt Conservatores, nec possunt exercere judicialem indaginem juxta Textum in cap. 1. & c. fin. S. ut autem, de offic. deleg. in 6.

Tamen id procedit in nudis Conservatoribus, secus autem in iis, quibus retento eodem conservatorum nomine, major à summo Pontifice potestas attributa est, ut quia Judices à Papà appellantur, vel habeant facultatē in privilegio expressam cognoscendi de injuriis, & aliis causis, etiam si requirant judicialem indaginem, ita ut tota

M m §

vis

vis ste in litteris Apostolicis, quarum forma est servanda. *cap. cum dilecta de offi. diligenter ff. mand. & tradit in nostris terminis Joan. in d. cap. 1. sub num. 6. vers. in fin. de offi. deleg. in 6. & idem in addit. ad specul. in tit. de iudic. deleg. §. fin. sub num. 11. a verbo Conservatoribus, Hofst. & post eum Gemin. in d. cap. 1. sub. num. 13. vers. ult. in addit. Guid. Papae decis. 18. num. 3. Franc. Marc. decis. Delphin. 349. numer. 5. lib. 1. p. 1. Corn. cons. 15. per tot. lib. 3. & formam huiusmodi conservatoriae latis similem praeferri, de qua agitur ponit prob. ad Joan. Monac. in d. c. 1. num. 3. de offi. deleg. in 6.*

³ Quod autem in casu, de quo agitur, Conservatores praedicti Monasterii habeant jurisdictionem judicialem, facile comprehenditur ex lectura amplissimi privilegii felic. reco. d. Eugenii IV. sub dat. Romae septimo idus Maji 1444. nam ibi conservatores Judices, ut considerat in puncto Corn. d. consil. 15. num. 6. lib. 2. praeter illis datur amplissima facultas non solum defendendi Monasterium à quibuscumque molestiis, gravaminibus & injuriis ei illatis, vel inferendis, sed cum fuerint ab Abbatibus, & conventu vel eorum procuratoribus requisiti, personis quibuslibet super restitutione castrorum, villarum, terrarum, & aliorum locorum, jurisdictionum, iurium & bonorum ad Monasterium spectantium, & aliorum locorum, jurisdictionum, iurium illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem, per quae verba judicialis jurisdictionis concessa d. cap. 1. *et fin. à contrario de offi. deleg. in 6.* adeo ut propter hanc formam, quae venit in stylo curiae, parum intersit dispositio illorum iurium, ut tradit Joan. Andr. in dict. cap. fin. sub num. 3. *et ibi Dominicus in §. Conservatores in n. 4. vers. in indistincte. Navar. in Manual. cap. 27. num. 125. vers. neque Conservatores.*

Accedit alia clausula: *Contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesie apostolicam compescendo*, per quam dicitur concessa facultas judicialiter procedendi Joan. Andr. in d. cap. 1. num. 9. vers. si ergo *et ibi Hofst. num. 14. et Dominicus num. 13. de offi. deleg. in 6.* & rursus adest derogatio expressa constitutionis Bonifacii VIII. quae ponitur, quod Conservatores de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis, & aliis, quae judicialem requirunt indaginem, pennis in eos, qui secus agerent, & in procurantes, se nullatenus intromittant, quae sunt expressae dispositurae in d. c. 1. *et fin. de offi. deleg. in 6.*

Nec vilum est obstare Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 14. *et sess. 14. cap. 1. de reformat.* quia in dict. sess. 7. cap. 14. loquitur de regularibus extra Monasterium & gentibus, & in causis mercedum, & miserabilium personarum, sess. autem 14. cap. 5. expressè reservat regularia loca & universitates, in quod tales conservatoriae regularium non sint sublatae per sacrum Concilium sess. 24. cap. 20. de reformat. censuit contra Congregatio Concilii interpretum in una Mediolanen. etiam quod causae graves sint, & plenariam cognitionem requirant.

Et ita fuit de eorum, Abbate cum Monasterio solum informante.

DECI-